WENCESLAUS BRACK
Konstanz, 1492-1494 Seite 153r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



eiusque melancolie: ut etiam nos lateat, aqua eius
nisi his signis, sui Index fuerit: cutim eius
balneo emundat: tremoremque cordis aufert
que etiam bibita, leticiam inducit. Argenti
vero virtus: dixit serapio et avicenna secundo Canonis
et halyabas quinto theorice: temperate infrigidat
et desiccat: Et in libro de viribus cordis ait
avicenna: Cor confortare: quod periit aqua facit:
que ab eius minera oritur: dum purior atque
purior eius fomes fuerit: Et cum illis mineris
semper lapis lazuli miscetur: per cuius proprietatem:
aque ab eis effluxe, melancolie conferunt. Preterea
viride eris, et cupri: aut plumbi: plurimum eis
conascitur: ex quorum abundancia, virtus auri et
argenti evanescit: Et aque illic orte, minere
predominantis contrahunt qualitates

Caput octavum: De aqua ferrea et enea: sive erea

Ferrea aqua: dixit avicenna secundo Canonis
visceribus, spleni et stomacho confert
et colice, atque renibus bona est. Et
in qua extinguitur ferrum, sanguinis convenit sputo
Et dixit Chuzi: laxitudini stomachi conducit
Et tercio Almansoris, Magnitudini splenis,
optima est. Halyabas vero quinto theorice
ait: Aqua orta a ferro ventrem incarcerat